

quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque Magistratus sua munia implere velim: Mihi autem neque honestum filere, neque proloqui expeditum, quia non Aedilis, aut prætoris, aut Consulis partes sustineo: *majus aliquid et excelsius a Principe postulatur*; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere adgrediar? Villarumne infinita spatia, familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? æris tabularumque miracula? promiscuas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, quibus lapidum caussa pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur? Nec ignoro, in conviviis et *Circulis incusari ista et modum posci*: sed si quis legem fanciat, poenas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, *neminem criminis expertem clamitabunt*. Atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos, nisi per dura et aspera coerceas, corruptus simul et corruptor, æger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a majoribus repertæ leges, tot, quas Divus Augustus tulit, *illae oblivione, he (quod flagitosius est) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere*. Nam si velis, quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere: at si prohibita impune transcederis, neque metus ultra, neque pudor est. Cur ergo olim parsimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur: quia unius urbis cives eramus, ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus, externis viatoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo Aediles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At, Hercule! nemo refert, quod Italiæ externæ opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatis quotidie volvitur. Ac nisi provinciarum copiæ et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora, nostræquæ villæ tuebuntur. Hanc P. C. curam sustinet Princeps: Hæc omissa funditus Remp. trahet. Reliquis intra animum mendendum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites satietas, in melius mutet. Aut si quis ex Magistratibus, tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc et laudo et exonerari laborum meorum partem fateor. Sin accusare vitia vo-